



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia I. Somnium Magdalenae de futurâ suâ nauigatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

LIBER QVARTVS.
MAGDALENA
EXSVLANS.

ELEGIA I.

*Somnium MAGDALENAE de fu-
turâ suâ navigatione.*

DVM dolor in curas nocturnis excu-
bat horis,
Et vigil in fletū tædia fera trahit;
Sidereum mundum furuis emensâ
quadrigis

Iam Phœbe Oceani fræna lauabat aquis.
Tum somnus gelido perfudit lumina cornu.
Illa papauereâ nube sepulta natant.
Ergo cum fessos placidus sopor irrigat artus,
Sido solo, & molli lassa recumbo toro.
Discolor hîc variis obludit imago figuris,
Appingitque animo somnia mille meo.
Et vidi, aut vidisse reor, super æquora puppim
Nescio quam, fati conscia signa mei.
Illa rebellantis Nerei meditata triumphum,
Pandit Ioppæo vela superba mari,
Aegæi passura minas, cælique furores,
Quæque ruunt nimbo bella fluentifono.

Cui

Cui tremulis pennata phalanx alludit in alis,
 Cæligenumque duces omnia læta canunt.
 Quaque super resonis chorus aliger accinit vndis,
 Spargit aquis niueum cana columba iubar.
 Quæ præit illa, sequor: sed quæ sequor auspice
 Cælo,
 Vndosum Cyano marmore signat iter.
 Ridet inoffensum pacato lumine Cælum,
 Et picto annumerat sidera mille salo.
 Iamque sonant remi clausisque frementibus vndis,
 Veliuolamque vehunt flabra secunda ratem.
 Excitor ô: remi sonus excitat, excitat vndæ.
 Heu! mare quod vidi, somnus & error erat.

ELEGIA II.

Aliud Somnium.

Vt placidi rupit fragor improbus omina
 somni;
 Iam vigil vmbroso mæsta residuo toro.
 Sidentem tacitis alius sopor impulit alis.
 Victa labo: somno triste reclino caput.
 Velifero campo rediuiua recurfat imago;
 Inque mari puppis quæ prius iuit, abit.
 Ibat ouans remis, Zephyrique ferentibus alis,
 Prora per Aegæum Carpathiumque fretum.
 Ecce, micat, volucrique fecat caua nubila cursu
 Nescio quæ velis obuia Diua meis:
 Cui teneris nix casta genis, cui viuuda vultu
 Purpura, & ambrosijs gratia suada labris.
 Statque corona comis, altoque in vertice turres,
 Et viridem pingunt florea regna togam.

Hic